

5
CASUS CHIRURGICI:

QUORUM SECUNDUM,

PARTUS SCILICET CONVULSIONIBUS ALIIS,
QUE MORBIS DIRISSIMIS CONCOMITATI,

VENIA EXP. FACULT. MED. ACAD. IMP. ABOËNSIS

PUBLICÆ CENSURÆ SUBMITTIT

CAROLUS DAN. VON HAARTMAN,

*Philos. et Med. Doctor, Urbis Aboëns. Medicus et Chirurgus,
Chirurgiæ et Artis Obstetriciæ Adjunctus, Soc. Imp. Oecon. Fenn.
nec non Soc. Reg. Faut. Rei Veterinar. Hafn. Membrum.*

RESPONDENTE

HENRICO GUSTAVO BORENIO

Wiburgensi.

Die 14 Maji MDCCCXXIII, in Audit. Medico
horis a. m. solitis.

ABOË, typis Frenchellianis.



Casus Secundus:

Partus scilicet convulsionibus aliisque morbis dirissimis concomitatus.

Femina, Coriarii cujusdam uxor, 28 annos nata, habitu corporis robusto, colore faciei florido et temperamento sanguineo, optimaque ab incunabulis inde valetudine gavisa, præterquam quod sanguinis profluvii vel narium vel uteri temporibus menstruationis sæpius fuerat obnoxia, jam vero octo menses gravida, post levem ut videtur refrigerationem, die 1:ma novembris anni 1820 vespere, dolore sat leni capitis correpta oppressionem præcordiorum molestantem per sensit. Hæc vero mala parum omnino curabat et quiete obdormuit; at hora secunda matutina expergefata vehementissimoque capitis dolore cruciata, præ angore semet in lecto contorquebat, nec parum a sensu præcordiorum dirissimo aucto patiens. His ita continuatis nec non sensim adauctis, hora quarta ex inopinato leni convellitur artuum convulsione oculorumque contortione, hisque succedit levis sensuum stupor, quem vero decepti et maritus et ancilla advocata cito translituros crediderunt, unde nullum auxilium nullum remedium petiere, præter spiritus frumenti, apud nostrates auxilii universalis, haustulum, quem sese recuperanti porrexerunt. At et cephalalgia et vertigo remansit, nec molestissima convulsionum comes, vomituritio defuit tenax, iterumque hora 5 altera supervenit

feminæ convulsio, et quidem jam vehementior jamque diutius continuata. Facies tumefacta livet, oculi sursum contorquentur, ex ore spuma tumet cruentata totumque corpus vehementer quatitur. His tandem terrefacti adstantes obstetricem advocare festinant. Interea vero gravia jam cesant symptomata et sensus, post longum tamen et profundum soporem, sensim recuperat cruciata. Obstetrix advenit. De dolore capitis, ad frontem versus fortissimo, conquerebatur femina, deque propensione ad somnum insuperabili. Vomitus vero cito supervenere et signa denuo advenientis convulsionis: *vultus mutatus levi cum artuum horrore*. Quibus cito in violentissimam convulsionem mutatis, memet advocavit obstetrix, orans ut quam citissime properarem. Festinans igitur quantum potui ad ægotantem, hora nondum 6 audita, in medium summæ consternationis adveni. Paulo ante convulsio cessaverat; facies livido fere colore tumebat, oculi semiaperti conturbati membrana quasi obducti torvi et immobiles sursum erant reflexi, respiratio stertens longis intervallis tracta vehementer sonabat, dentes fortiter quamvis clausi, cum sibilo spumam ex vulnerata lingua cruentatam transmissere, copiosus per totum corpus distinctis guttulis erupit sudor, nec non horridus adhuc erat sensuum stupor. Talem, primo accessu, statum periculosissimum utique inveni ægotantis; parum vero omnino per circumstantium narrationes, ut solent perturbatas et interruptas, de prægressis colligere potui. Tempore graviditatis optima gavisa sanitate neque morbo ullo, nec convetis quidem prægnantium malis, fuerat nostra vexata, alvumque semper bene reddiderat; at facie semper vividissimo florente rubore, dolorem satis frequentem habuerat capitis, et menstrua ut semper nimium copiosa fuerant, ita etiam ter prægnanti supervenere a). Pridie quam morbo fuit correpta,

fæ-

a) Prægnantis uteri evacuationes sanguineas tempore menstruationis conveto nonnunquam observatas, perperam omnino menstrua denomi-

sæpius, sub panis coctione, vicissitudinibus maximis, nunc caloris nunc frigoris, exposita, refrigerationem satis facile contrahere eam potuisse verisimile est. Præter clystma irritans, ex aqua, sale et oleo, ab obstetrice injectum, nullum adhibitum fuit remedium, vel quia me cito adventurum expectaverant, vel quod præ consternatione concilio lapsi fuerant. Hic dum esset status rerum, primum explorationem esse instituentiam necessarium duximus, qua expertum haberemus num, ut sæpius contingere solet, ab inceptis jam doloribus parturitionis, vel a sola refrigeratione ortum traheret dirissimum, ægrotantem nostram excrucians, malum. Qua igitur

A 2

per

natas fuisse, quemadmodum et Vetularum, typum mensium observantes, sanguifluxus uterinos (confr. MAURICEAU Aphorism., LEVRET l'Art des Accouchemens, MANINGHAM Art. Obstet. comp., ASTRUC Trait. de morb. mul., P. FRANK Epit. de cur. hom. morb. §. 648), nec non puellularum, si credere licet, aliquando observata menstrua sic dicta præcocia (vide KERKING Obs., STOLPERTUS ein jung. Geburtsh. am kreisbette, aliosque), menstruationes veras neutiquam esse posse patet. Consistere enim videtur menstruatio, vere sic dicta, non tantum in sanguifluxu quodam e genitalibus femineis, intervallis vel brevioribus vel longioribus at certis reveniente, sed potius in processu ipso vitali, modo quidem inexplicabili, a sublimioribus attamen pendenti legibus, typum trium ut plurimum vel quatuor hebdomadam observante, quo individua muliebria idonea fiunt partesque genitales adaptantur ad conceptionem, cujus vero processus proximus est effectus menstruorum fluxus. Inde nulla conceptio nisi antecedente eodem processu, moliminibus sic dictis menstruationum concomitato; inde conceptiones excitatæ paucas in genere intra dies post menstruorum fluxum vel fluentibus adhuc iisdem, (Cfr. BOERHAAVE Prælect. T. V. P. II. p. 238, MAURICEAU o. c. p. 74, DE LA MOTTE Traité compl. d. Accouchem. Liv. I. Obs. XX iv.); indeque conceptiones feminarum quibus nondum supervenit sanguifluxus menstrualis, sed quibus tamen molimina menstruationis adfuerant (Cfr. opp. c. et NÄGELE Erfabr. aus d. gebiet des Krankh. d. Weibl. Geschl. Manuf. 1812, p. 267, cet.).

per vaginam instituta, inchoati laboris nullum invenire potuimus indicium, nec erat graviditas ulterius perducta quam ad finem mensis octavi: *aderant enim adhuc distincta quasi labia tinæ*, qualia parva quidem sub finem mensis octavi primiparis esse solent, *digitum fere crassum inferius adhuc sentiebatur segmentum uteri*, nec sine difficultate orificium, sursum ad promontorium oslis sacri adductum et paululum apertum, attingi poterat uteri. Jam vero interea paululum sensus recuperaverat ægrotans ita ut ad quæsitâ responderet, licet confuse in mediis quasi verbis somnolenta. Venam igitur jam secuimus brachii, unciasque sanguinis fœdissimi duodecim emisimus, nec non enema fortissimum injiciendum ordinavimus. Cito vero denuo, nobis adstantibus, violentissima supervenit convulsio, prænuntiata a vomitione vehementissima; quare venæsectionem iterum priori abundantiore, finitis jactationibus corporis, in pede instituimus. Nihilominus frequentia paroxysmorum, a septima ad nonam horam ter ingruentium, increverat; jam sopor, per intervalla quoque, horridus remansit; jamque spem omnem restitutionis amiserunt circumstantes perterriti amici; nec sine ratione. — *Extr. Thebaici granum semis cum saccharo contritum, et Lixivii Tartari guttas quinque, alternis horis sumendas, calidasque fomentationes super ventrem ex lixivio diluto adhibendas, sæpiusque renovandas, præscripsimus.* Hora X:ma iterum adoriebatur convulsio, deinde vero longius intercedebat intervallum, sub quo tamen profundo jacebat nostra sopore oppressa, nec ullo modo suscitari potuit. Post meridiem de novo horis II, IV, IX et XI, supervenere convulsiones; tunc vero instituta exploratione per vaginam dolores partus jam adfuisse invenimus: *os tinæ scilicet ad axin pelvis detrusum, semiapertum et vesica liquoris amnii factum.* Conticuere convulsiones ad horam, et sperare jam potuimus naturæ solius ope finem fieri posse laboris; feminam igitur reliquimus ea tamen data admonitione adstantibus ut, quam primum denuo superveniret convul-

vulſio, citiſſime noſmet advocarent. — Deſluxere aquæ media nocte, indeque inceperè dolores partus paulo diſtinctiores, ſimul vero violentiſſime convellitur femina. Advocati igitur et forcipe jam armati, hora poſt mediam noctem III:tia feminam viſitavimus. Duos interea perpeſa fuerat paroxyſmos, fere moriens jam, miſerrima. Cavitationem pelvis occupabat caput fœtus, oriſcium uteri oblitteratum erat, et perinœum a fronte fœtus expanſum, tempusque erat opem ferendi cruciatu feminae, ſinemque faciendi partus, ne, ſupervenientibus novis convulſionibus, et mater et infans perirent. Sine mora igitur forcipem adplicavimus, levibusque per dimidiam horam tractibus, infantem aſphycticam quidem ſed cito revivificatam, extraximus. Hora jam quarta erat. Nullum ſignum doloris edens, ineodem ſtatu ſoporoso fere immobilis jam jacebat femina; paululum omnino cruoris effluxit; pulſus ſat plenus et regularis ſentiebatur, nulli vero adeſſe dolores ad ſecundinas expellendas videbantur; quas igitur ubi per horam fruſtra operati fuimus et artuum iterum ſupervenere convulſiones, manu, more ſolito, placentam nempe eamque ſequentes membranas eduximus. Inde deſiere convulſiones, at ſopor perquam horridus nec mutatus imminens indicabat periculum. Medicamina omnino reſpuebat femina vel potius feriata deglutitione aſſumere nequibat. At durities pulſus ut et ſanguineifluxus paucitas poſt ſecundinarum partus, nobis fuere indicationes ad venæſectionem inſtituendam. Uncias igitur XIV ſanguinis detraximus ex magna cum lanceola ſauciata vena brachii, in capitis vero tonſi verticem magnum impoſuimus veſicatorium et ad ſuras epiſpaſtica fortiſſima adplicavimus. Soluta per clyſma irritans alvo, tres excitavimus copioſas evacuationes. Hæc omnia mane facta ægerrimam dein non ante vespèram iterum vidimus. Senſus aliquantulum jam recuperaverat, interrogataque ſat diſtincte reſpondit, in voce vero et geſtu alienum quiddam nos effugere non potuit. Nil de partu abſoluto nil de tantis cruciatibus perlatis reminiſci po-

tuit. Quid? quod, infante sibi porrecta, cachinnans quæsit: cujusnam hæc parvula? malum semper omen si violenter ar- rident, nuperrime post absolutam parturitionem, irritabiles fe- minæ! — Lochia quoque apud nostram parce omnino fluentia et urina diu non misa, nec non pulsus exiguus, celerrimus duriusculusque irritatum indicabant statum. Nihil præterquam cerevitiâ tenuem recepit. Medicamentum laxans sibi obla- tum magna vi indignata rejecit, ut et epispastica, ad plantas pedum jam translata omnimodo remove conata est. 5:ta no- vembris mane nostram visitantes, furentem eam delirio inve- nimus. Sic maniam, quæ vespere jam, ne adpropinquaret, nobis in metu erat, adesse dubitare non potuimus. Clamabat cachinnabatur, et maxima cum vi e lecto et manibus adstan- tium, mariti scilicet lacertosissimi viri ancillarumque clararum, erupit. Nunc morosa, nunc gaudio exultans nullis nec pre- cibus nec minis parebat. Advenientibus vero nobis mitior facta — ut plerumque solent maniâci præsentem medico — juste respondit ad quæstiones et quieta lectum tenebat. De dolore capitis tantummodo conquerebatur, nec minus de su- rarum intolerabili ulatione ex epispasticis orta. Lochia ces- saverant, alvus obstipata fuit et pulsus exilis celerrimusque di- gitum 120 ictibus minuti temporis spatio pulsavit. 20 *hiru- dines* pone aures et ad tempora applicari, non tamen absque adhibita vi, curavimus, vulnus vesicatorii cum pulvere *can- tharidum* denuo irritavimus, nec non potionem laxantem e *sale Anglico* ordinavimus, quam vero omnino respuebat mo- rosa. Vespere mania perquam diminuta erat, cetera vero ut antea. Pulverem igitur tractabili jam ægrotæ ex *calomelanos* et *opii* ana semi grano, omni secunda hora sumendum, et bal- neum tepidum, in quo lubens *quoque* femina per quartam partem horæ remanet, præscripsimus. A vetula quadam mammas, licet lactis vacuas, sæpius fugi svasimus. Somno de- stituta, per noctem tamen satis quieta fuerat nostra. Sequen- te die omnia jam ad meliora versa: parum omnino adhuc prio-

ris vehementiæ vocis remansit et pulsus mollior 103–110 ictibus per horæ minutum micabat. Continuatur pulveres ut pridie, et alvus enemate sollicitatur. — Die 7:ma delirium dissipatum erat et sensus reversi, novum vero jam instare videbatur malum et prioribus quidem pejus; conquerebatur enim de cephalalgia molesta nec non de dolore ad pressionem aucto et per totam fere cavitatem abdominis, maxime vero in regione hypogastrica se extendente; pulsus frequentissimus erat et exilis sub tactu quasi effugiens, cutis sicca et urens, lingua sordida aridaque, facies pallida et collapsa, oculi languentes, nec mammis lac ullum advenerat, indies licet suctus continuatus fuerat. Febre jam laborabat puerperali, tantis antea excruciatâ malis, nec nisi infaustissima prognosis esse potuit. *Mixturam Salinam*, ex *Salis Ammoniaci depurati* drachmis tribus in libra *Infusi florum Chamomillæ* solutis, et *Emulsionem Camphoratam*, alternis horis sumendas ordinavimus, in abdomen vero fomentationes siccas ex speciebus resolventibus, et injectiones ex *Conii* infuso per vaginam instituendas, ad vesperem vero balneum tepidum præparandum, jussumus. — Sequente die seu 8:va mensis, omnia jam pejora invenimus, cutis tantummodo minus calens et mollior sentiebatur; pulsus vero minuti temporis spatio 140 ictibus debilissimis quidem pulsabat, facies *hippocraticæ* non dissimilis fuit, et oculi sordidi semiaperti, membrana quasi obducti conspiciebantur. Continuari cum medicamentis, tam internis quam externis, decrevimus, vesicatorium vero quinque pollicum diametri ad anum ventrem, supra veneris montem, adposuimus, et ob alvum obstipatam enema irritans injiciendum ordinavimus. Die 9: dolor abdominis imminutus, cutis mollis, cetera ut antea. Die 10: sub noctem transpiratio benigna supervenerat, unde etiam pulsus jam fortior nec plusquam centum ictibus micabat, et oculi vividiores faciesque lætior videbatur. Cum medicamentis continuavimus; in vulnus vero vesicatorii, post decimam vesicam, *Unguentum Sabinæ* imposuimus. Die 11 sub

no-

noctem iterum sudor profusus manaverat, dolor abdominis cessaverat, pulsusque normalis erat; tumidus vero adhuc aliquantulum videbatur venter, quare cum unguento irritante vulnus vesicatorii adhuc tractandum esse decrevimus. Medicamenta vero priora omittenda iussimus, et horum loco *Infusum Rad. Valerianæ* alternis vicibus cum *Infuso Cort. Cinchonæ* sumendum, quoad vires recuperaret, e faucibus mortis jam erepta nostra, præscripsimus.

En B. L. secundum Casuum Chirurgicorum, quos dignos putavimus, sed temporis angustia curisque variis impediti huc usque distulimus, qui publici fierent juris. Historiam exhibet, fidsissimo calamo descriptam, partus difficillimi dirislimisque morbis concómitati. Objectiones contra methodum medendi a nobis adhibitam exspectamus varias, lubentesque admittimus; si vero ut est proverbium, *finis coronat opus*, nec gravior esse potuit morbus nec felicior eventu. Sed et alio modo nostram potuisse sanari et forsan meliori non tamen denegamus, exitu vero satis contenti hortamur Lectorem cum Poëta:

"Si quid novisti rectius istis

"Candidus imperti; si non, his utere mecum."

Observationes.

Contrarius omnino recentiori fuit antiquiorum temporum usus quoad sanguinis missiones et purgantium usum sub tempore graviditatis. Initio enim hujus status, hoc est primo vel secundo mense uteri gestationis ubi superesse adhuc posse molimina quædam menstruationis abortum sæpius excitantia false crediderant antiqui, primum venam, secundum vero sub finem ejusdem status unicuique femine esse secandam: itaque jubebat fatalis non multa decennia abhinc consuetudo. Nostris vero temporibus venæsectionem jam fere abhorrere gravi-

das

das ubique videre licet. Eademque fere est ratio purgantium; *in medio vero semper veritas*. Ubi vera adest plethora, ibi non tantum prodesse sed et necesse esse sanguinis copiam venæsectione imminuere et diæta tenuiore moderari, experientia satis comprobavit; e contrario vero noxia omnia esse debilitantia, quorum nullum sanguinis missione majus, ubi debilitas jam antea prævalet. Ita venæsectione varia incommoda sub graviditate prævertuntur, ut dirisissimi capitis dolores, vertigines, epistaxis, sanguinis fluxus alii, varices &c., nec non sub ipso partu dolores inordinati, convulsiones, sanguifluxus, aliaque. Quibus igitur gravidis facies rubet, caput dolet et grave est, vertigines superveniunt, sanguis abundat, tusis adest brevis et molesta, variis modis sanguinis fluxus superveniunt vel per epistaxin vel per sputum cruentum vel denique per hæmorrhagias ex utero et vagina, quibusque pullus est durus; iis quidem non tantum non sine damno unquam intermittuntur phlebotomiæ, sed et initio harum molestiarum instituendas esse easdem sana jubet experientia. Aliam vero nunc esse praxin ubique pro dolor! vidimus. Inde tot difficillimi partus, tot lætus in utero necati! — Nec nobis patere potest unde celeberrimus Boër *b)*, tantus in arte nostra vir, sententiam suam collegerit de noxis semper sub partu ortis post institutas venæsectiones tempore gestationis; sat enim sæpe venam secuimus gravidis, quibus symptomata supra citata supervenere et inde nullum nisi bonum observavimus effectum. At aliter nonnunquam docere scriptores aliter agere permultos suspicamur.

Permulum omnino discrepant Artis Obstetriciæ Scriptores in determinanda methodo auxilii ferendi supervenientibus puer-

B

pe-

b) Abh. u. Verf. z. begründ. ein Geburtsh. Wien 1810.

perarum convulsionibus, diuque ipsi in casu jam proposito accipites mentis hæsitavimus num forcipe et quo tempore uti deberemus. Alii enim, ut DELEURYE *c*), ROEDERER *d*), BAU-DELOCQUE *e*), BURNS *f*), partum semper, post unam vel alteram prius institutam venæsectionem, esse perficiendum quamprimum os uteri eousque apertum inveniatur ut manum facile admittat obstetricis; alii vero ut EBERMAYER *g*) et HAMILTON *h*) etiam si clausum sit adhuc, ingruentibus convulsionibus, orificium uteri vi esse aperiendum partumque perficiendum statuerunt; nec desunt ex. gr. DENMAN *i*) FRORIEP *k*) et CARUS *l*) qui fere ab omni vi dissvadeant et in remediis variis tam externis quam internis, ut antispasmodicis, fomentationibus, venæsectionibus aliisque omnem ponant fiduciam. Nos vero, si ex nostra experientia, parciores quidem illa nec cum talium virorum comparanda, sed ab omni præjudicata opinione adhuc libera, judicabimus, nec uni nec alteri opinioni assentiemur absolute, sed potius unamquamque uti veram pro re nata sequemur. Sunt enim convulsionibus quæ ne brevissimam quidem permittant moram, quorumque symptomata gravia, utpote: *sopor ab initio jam lethargicus et livor faciei per intervalla quoque paroxysmorum permanentes, nec non ar-*

tum

-
- c*) Abh. üb. die Geburten etc. Breslau 1778.
 - d*) Artis Obstet. Elementa. Goetting. 1766.
 - e*) l'Art. des Accouchemens. à Paris 1807.
 - f*) Principles of Midwifery. London 1814.
 - g*) Taschenb. d. Geburtsh. Leipz. 1807.
 - h*) Treatise on the management of Female Compl. Edinb. 1809.
 - i*) Introduct. to the practice of midwifery. London 1807.
 - k*) Theor. pract. Handb. d. Geburtsh. Weimar 1818.
 - l*) Lehrb. d. Gynäkologie. Leipz. 1820.

tuum jactationes cessantes, oppressionem cerebri lethalem cito adpropinquantem indicant: et in his stultum fane videretur tempus adhibendis perdere remediis, quorum effectus fero omnino appareret, ibique valet de partu artificiali vi instituto: *remedium anceps potius quam nullum*. — In aliis vero convulsionibus, ut in casu jam allato, *cito transit sopor nec nisi post multos repetitos paroxysmos etiam per intervalla permanet, neque unquam nisi sub ipsis paroxysmis livor ille horridus perdurat, neque membrorum jactationes cessant*. In iis multum omnino a remediis indicatis expectandum est, quamdiu nempe infausta illa signa non apparuere; interea enim orificium uteri aperitur et sine difficultate, si necessarium sit, arte instituitur partus. Vidimus vero etiam ter partus cum convulsionibus conjunctos violentissimis, quibus nullum adhibitum fuit remedium, uteri vero contractionum vis tanta fuit ut post unam vel alteram dimidiam horam, partus feliciter absolveretur. Medici igitur est boni in casu judicare num expectandum sit an agendum. Hanc vero regulam constituere practicam non dubitarem, *cum partu artificiali instituendo, si clausum sit orificium uteri* (haud enim unquam impune vi dilatatur) *tandiu esse expectandum, quamdiu gravissima illa nondum apparuere symptomata supra citata; quam primum vero vel oblitteratum sit os uteri vel signa superveniant oppressionis cerebri, sive manu sive forcipe finem faciendum esse parturitionis*.

Essetne febris, qua laborabat femina nostra post dissipatam maniam, puerperalis, (qualem vocavimus eam) an alius cujusdam generis, eo magis et ipsi dubitavimus quo inter se differunt magis Auctorum descriptiones hujusce febris (Confr. Opp. citt. et v. SIEBOLD Frauenz. krank. Wien 1816, JÖRG Handb. d. krankh. d. Weibes., Leipz. 1809, cet). Aderant vero symptomata qualia *diagnostica* statueremus ejusdem morbis scilicet: *febris typhosa, dolor et tumor abdominis, lochiorum suppressio, mammae lacte vacuae* et denique *brevis decursus morbi* vid pagg. 7 et 8.
